

pedibus omnium simul potest aptari. Et hæc cum ita accidisse nōrit Censor, mirum sanè videri debet, quod vel de Remonstrantium consensu idcirco dubitet, quod subscriptione careat eorum Confessio, vel ex subscriptione de consensu eorum judiciū faciat, vel deniq; quod de subscriptione an facta sit dubitet, cùm eorum Confessionem adeò obscuris, dubiis, atq; incertis lubricisq; phrasibus exaratum esse velit, ut quilibet pænè Sectarius, modò Calvinista non sit, ei sine ulla difficultate possit subscribere. Cur adeò difficulter credit eos subscriptissim unanimitate Formulæ, quam ad libitum & arbitrium cuiusq; compositam & de industria fabricatam esse omnibus vult esse persuasissimum? hæc non cohærent.

Sexto loco notamus. Quod cum Remonstrantes in præfatione sua dicunt, quod omnia Confessionis sue membra ad praxin Christianæ pietatis direxerint, eo ipso tacite Ecclesias suas taxatas velit Censor, quasi Theologiam totam mere speculativam faciant: Ita est. In Theologiam etiam ipsorum id dictum voluerunt, quanquam non ignorabant esse inter eos, qui contra profitentur, & Theologiam partim speculativam, partim practicam, aut practicam quidem, sed maximam partem speculativam faciunt. Professionem & protestationem hanc flocci fecerunt. Tota enim Theologia eorum revera merè speculativa est, & cum praxi, sive officio hominis erga Deum, nihil habet commune. Quicquid in ea est, id est aut Deus, aut Dei actio, ad quam etiam cessatio ab actione referenda est; Praxis nostra nil est, nisi vel pura puta Dei actio in nobis, vel id, quod cessationem divinæ actionis in nobis tam necessariò consequitur, quam Solis absentiam tenebræ: Nos boni sumus & bene agimus quia Deus vi sua divinâ ita operatur in nobis, ut non possimus non esse boni. Nos malum sumus & peccamus, quia Deus non vult operari in nobis, ut possimus boni esse & à peccando definere: Officium nostrum nudum nomē est: Conditio in Euangelio nulla est: Precepta divina ad promissa eius pertinent: Deus efficit in nobis quod à nobis fieri vult, & præcipiendo adspirat effectum simul atq; efficaciam: Voluntas nostra non est principium practicum, quod ex officio præscripto se movet, sed vel subjectum merè passivum, vel instrumentum brutum cæco motu necessario sequens, aut rationis imperium, aut arcanum divinæ motionis impulsum: Principij, medijs ac finis eadem est ratio. Ut confilium Dei stet, easdem divinas actiones pari vi atq; efficacia continuari necesse est. Hæc tam certa, tam clara sunt, ut nihil supra. *At nos*, inquit Censor, *fatemur veritatem quæ secundum*

E pietatem

Sextum cap^u
Quo fine Re-
monstran-
tes dixerint
se omnia Con-
fessionis sue
membra ad
praxin Chri-
stianæ piet-
atis direxisse,

TotaTheolo-
gia Calvini re-
vera mere spe-
culativa est.